

05

A

2353

DISPUTATIO POLITICA
DE
Iis, qui summæ po-
testati subjiciuntur;

Quam,
PRÆSIDE,
MICHAELE WENDELERO,
D. & P. P.
publicè proponit
MICHAEL HENTZSCELIUS, WITE-
bergâ Saxo,
In Auditorio minori, die 19. Julij, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO MDCLVI.

VIRIS JUVENIBUS.

*Præeximiis, Politissimis, atq; omni-virtutum
genere præstantissimis
Dominis.*

Dn. M. Paulo Philippo Röbero. } Wittebergensib;.
Dn. M. Johanni Frimelio. }

Dn. M. Martino Lehmanno. Gubenensi, Lufato.

Dn. Christophoro Arnolfo Nevio Hallensi

Saxoni:

Dn. Godofredo V Villichio, Hamburgensi.

Dn. Johanni Friderico Fugmanno Belzigensi Sax.

Dn. Casparo Godofredo Scheplero Ottensensi
Holfato.

Dn. Christiano V Vustio V Vittebergensi Saxoni.

Dn. Johanni Holdhusio Aurico-Frisio.



*Dominis Fautoribus atq; Promotoribus meis singulari
reverentia cultu devenerandis Politicam hanc
συζητησιν melioris atq; ulterioris re-
commendationis causa
do, dico, consecro.*

Michael Hensschel V Vittebergensis.

05 A 2353

CONTINUATIO.

NOn ita pridem disputationem quandam publico in loco habuimus de summâ potestate, atque in eadem promissimus, quòd hanc ob causam de iis quoque, qui summæ potestati subjiciuntur, disputandum nobis foret. Nam cum relata se mutuò explicent & definiant, quòd correlatum sit terminus essentia relati, cumque post caput cæteris membris locus debeat, utraque doctrina meritò conjungi tum potest, tum debet. Iccircò hac vice de iis, qui summæ potestati subjiciuntur, seu subditis, agendum nobis erit. Faxit Deus, ut omnia prosperè succedant nobis.

THESES.

1. Quicumque in republicâ vivunt, aut peregrini sunt, aut incolæ, aut indigenæ & veri subditi. Peregrinus apud antiquos dicebatur hostis, & qui nunc hostis, perduellis. Nam hodiè hostem vocamus, qui nobis bellum indicit, aut cui nos bellum indicimus. Nos nomine peregrini intelligimus hospitem, qui in alienâ republicâ vivit, in quâ nec domicilium habet, nec republicæ pars est.

2. Hospitalitatem tum ipsum naturæ jus nos docet, ut habet *Phil. 8. Ethic. c. 1.* tum jus divinum *Exodi 22. v. 21. & Levit. 19. v. 10.* *Horatius Od. 13. lib. 2.* scelestissimum descripturus hominem, illum, inquit, parentis crediderim sui fregisse cervicem: & penetralia sparsisse nocturno cruore hospitis.

hospitis. Ovidius lib. 1. *Metam. Fab. 5.* inter scelera summa numerat, quod nec sit *hospes ab hospite tutus.* Germani, dicit *Cæsar lib. 6. de Bello Gallico,* fas non putabant, hospites violare: qui, quâque de causâ, ad eos venerunt, ab injuriâ prohibebant, sanctosque habebant; iis omnium domus patebant, victusque communicabatur.

3. Cicero 2. *de officiis* sub finem hanc addit rationem: *Rectè* (verba Ciceronis) à *Theophrasto* laudat a est *hospitalitas*: Est enim, ut mihi quidem videtur, valdè decorum, patere domos illustrium hominum illustribus hospitibus. Idque & *reipub.* est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in nostrâ urbe non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honestè posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus & gratiâ. Non dicam, quod peregrini sæpè profuerint rebusp.

4. Temerè autem non sunt admittendi, cum periculū sit, ut pessimis moribus corrumpant aut cives, aut ut hostes recipiantur pro hospitibus. Hinc *Aristoteles 7. Polit. c. 6.* vult legibus caveri, qui recipiendi sint, qui non. Athenienses decernebant omnes trucidare, cum aliquid contra *Rempub.* molirentur. Eâdem vehementiâ sæviebant Poloni in Judæos *Cracoviæ* anno 1408. & Germani in *Thuringiâ,* itemque in tractū *Argentinesium,* quod veneficiis & iniquis usuris jus hospitii violarent. Lege hæc de re *Cromerum lib. 16. Rivandrum in Chronicis & ipsum Münsterum 3. Geog.* Hæc omnia fiunt jure. Nam ius hospitii tam diu servatur, quàm diu ab hospite nihil timetur, nec is hospitio se indignum præbet.

5. In legitimâ Republicâ jus peregrinorum nunquam debet esse melius, quàm civium. Hi enim tum vitâ, tum opibus, tum omni eo, quidquid possident, rempublicam sibi obligârunt. Hinc Athenienses cum sociis *μετόπισιον*
impe-

imperarent, cives liberos reliquerunt. In corru. ptâ, seu prolapsâ republicâ, peregrini sæpè anteferuntur indigenis. Apud Aegyptios cùm Sultani per fas & nefas subditos omnis generis oneribus premerent, meliorem fuisse conditionem peregrinorum, quàm civium, Historici docent. Florentinos simili fortunâ oneratos, rogationem tulisse ad principem, ut sibi liceret esse peregrinis, *Bodinus* de republicâ *cap. 6.* docet. Boleslaus, Dux Majoris Poloniae, anno 1264. Judæos non tantùm veris subditis æqvavit, sed in multis prætulit. Quod ubi fit, ibi cives, semper irascuntur, si sibi præficiantur alienigenæ.

6. *Patritius 3. de repub. & Casus 5. Polit.* indè concludunt, non esse peregrinis magistratus mandandos. Reverà quoque jus divinum *Deut. 17.* vetat, peregrinum regem eligi, idem dicturum de reliquis magistratibus. Nam cives putant se contemni, si ab alienigenis regantur, libentiusque obediunt suæ nationis & sanguinis hominibus, quàm extraneis. Non dicam, quòd peregrini nunquam tantam curam habeant reip. atque civis, quem patriæ amor ad diligentiam majorem admonebit, & quòd in repub. suos sit relicturus hæredes. Accedit, quòd magistratibus debeant civiùm mores cogniti esse. Sed cives concivium mores multò rectius noscunt, quàm peregrini. Nam eorū mores ex suo possunt metiri ingenio.

7. Sed ad peregrinos redeundum nobis est. Hi cùm omnimodò non sint obstricti reipublicæ, ne post violatam justitiam impunè se subtrahant, inventus est alius modus retinendi eos, quem *Arestum* aut *Repressalias* barbarè appellant. Nonnulli *clarigationem* interpretantur. Quam vocem non tantùm significare repetitionem, sed jus quoqueprehendendi complecti, ex *lib. 8. Livii* patet. Nam ibi scribitur, Veliternos per *clarigationem* tam diu deten-

detentos fuisse, donec præfinitum æs exolvissent Imperatori. Alii ex *Justin. Novel. 52. c. 1.* vocant *εὐχειριασμόν*, hoc est, ut vulgò vertunt, *pignorationem*. Quod vocabulum cum *ἀνδροληψία Demosthenis* coincidere putat *Budeus*.

8. Post peregrinos sunt *Incola*. *Camerario*, doctissimo Aristotelis interpreti, in *5. Polit. c. 3.* dicuntur *σύνοικοι*, hoc est, *cobabitantes*, aliisque *πάροικοι*, id est, *juxtà habitantes*. Tales erant Judæi in Aegypto & Aricini apud Romanos. Incolam facit domiciliū; non autem utitur omnibus civitatis juribus, nec *πολίτευμα* possidet, nec particeps est reipublicæ; sed tantum tenetur civilia munera subire. Nam cum à repub. sentiat commodum, æquum est, ut pro eadem incommodum ferat.

9. *An pius Magistratus Judæos in republicà tolerare debeat?* Qui negant, urgent *blasphemias, usuras, odium erga Christianos, seductionis periculum, damnum & desperatam fermè eorum conversionem*. Blasphemix & convicia Judæorum sunt fermè innumera, quæ tùm in precibus ordinariis, tùm in quotidiano sermone evomunt in Christum, Mariam, fidem Christianam, ejus confessores & Imperium Romanum. Christum enim vocant *spurium & suspensum*, Mariam *stergivilinium*, Christianos *Ethnicos & populos mundi*, & denique Imperium Romanum *regnum Edomiticum, superbum & Tyrannicum*. Vide *D. Helvicum Tom. 4. disput Gifensium disput. 11.*

10. Usuræ, quibus expilant Christianos, omnem excedunt modum. Nam cum lege divinâ usuras erga gentiles exercere sibi permissum esse existiment, absque ullo pudore sub immodicis usuris pecuniam Christianis mutuantur. Præter fœnerationem nullas fermè exercent artes, aut si quas habent, iis ad Christianorum perniciem abutuntur. Omnis ergò Magistratus, qui Judæos
pro-

propter tributorum lucra tolerat, iisdemque liberum usurae exercitium permittit, ille eos habet spongiarum loco, quibus subditorum sanguinem imbibunt. Hanc ob causam solo nomine à Tyrannico exactore differt, cum parum intersit, sive immediatè, sive mediatè à subditis immoderatus exigatur census.

11. Odium, quo Christianos prosequuntur, ex plurimis videre est. Quando Judæus mentionem facit Christiani, addit hæc verba: *ימח שמו*, hoc est, *deleatur*, seu *pereat nomen eius*. Docent quoque, quòd non sit peccatum, si Judæus Christianum interficiat, cum Christiani propriè non sint homines. Nec esse peccatum ajunt, si quis rem perditam, quæ sit Christiani, retineat; si Judæus adulterium committat cum uxore Christiani; si promissum, Christiano datum, etiam juramento confirmatum, non servetur. Quomodo in plurimis locis venenum puteis infuderint, supra in thesi quartâ diximus. Solemne Judæis est, quotannis eo die, quo Christus peccata nostra in cruce tulit, puerum Christianum in specu subterraneo occidere. Quâ de re legas velim *Münsterum lib. 3. Cosmogr. cap. 77.*

12. Seductionis periculum ex cohabitatione cum Judæis imminet. Nam experientia testis est, quòd simpliciores cum primis ex fœmineo sexû, sæpius à Judæis fuerint seducti. Damnum ex imperitiâ artis medicæ, cujus gnaros sese mentiuntur, ægrotis inferri solet. *Ut marsupia*, ait Langius lib. 1. epist. medic. epist. 71. p. 413. *fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt, & experimenta per mortes agunt.*

13. Desperatæ fermè Judæorum conversionis causæ sunt maledictio & pertinax mediorum salutis rejectio. Maledictio, cui justo DEI judicio Judæi subjiciuntur, triplex

plex in sacris literis extat. Prima est generalis *Deut. 28. v. 15.* *Quòd si audire nolueris vocem Domini, DEI tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus & ceremonias, quas ego precipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones istae & apprehendent te.* Secunda est ipsorum Judæorum, quam ipsi met suis verbis in passione Christi editis attraxerunt. Dicunt enim *Matth. 27. v. 25.* *Sit sanguis ejus super nos & filios nostros.* Tertia est ipsius Christi, quæ per os Davidis profertur *Pf. 69. v. 24.* *Obscurentur oculi eorum, ne videant; & dorsum eorum semper incurva.* Pertinacia inde constat, quòd à pueris suos assuefaciant liberos ad maledicendum Christo & ad odium Christianorum. Si quis ex sacris ipsorum errores redarguit, aures obturant. Ob hæc fundamenta quidam simpliciter ab omni repub. excludunt Judæos.

14. Contrà qui affirmant, urgent, *spem conversionis, reverentiam Patriarcharum, commoda, incommoda, necessitatem, & exemplum primitivæ Ecclesiæ.* Spem conversionis restare ex *Esaia 6. v. 13.* patet. Nam ibi post prædictionem cæcitatæ Judaicæ subjungitur, quòd *ad huc* in terrâ Judaicâ futura sit *decimatio, semen sit truncus ille*; hoc est, quòd DEUS relicturus sit aliquos, qui ad Christum convertantur & salventur.

15. Hoc Esaia vaticinium ad nostri quoque temporis Judæos pertinere, ex *Osee 3. v. 4.* probant. *Dies, ait Propheta, multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe, & sine sacrificio.* Mox autem *v. 5.* *Et post hæc revertentur filii Israel, & quærent Deum, Dominum suum, & David Regem suum & reverenter colent Dominum & bonitatem ejus in novissimo dierum.* Chaldæus reddidit: *Obedient Messia filio, David Regi suo.* Osee cognata habet Paulus *Rom. 11. v. 25. & 26.* *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est:*

Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob. Nonnulli addunt *Soph. 3. v. 20. & Luc. 21. v. 24.* Verùm hæc duo dicta indigere altiori indagine, monet Dn. D. *Gerbardus p. 892.* Prior enim locus de liberatione ex captivitate Babylonicâ, posterior autem de duratione vocationis gentium ad finem usque mundi commodius accipi videtur. Quidam forsitan magis commodè in medium producunt *Gen. 49. v. 27. Benjamin, lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere dividet spolia.* Quæ Benjaminis benedictio non habet pro objecto solam virtutem bellicam adversus hostes temporales, sed quoque multiplicationem Christianorum inter gentes: id quod ex *Psalmo 68. v. 13. 28. & seqq.* confirmant, cum primis tum ex repetitione subjecti, tum ex repetitione prædicati, quæ fit in citato *Psalmo v. 13. & 28.*

16. Nos distingvimus inter *temerariam Judæorum in civitatem receptionem, & jam olim receptorum tolerantiam.* Illam rejicimus, hanc verò permittimus. 2. Inter *liberam Judæorum αὐτονομίαν & limitatam certisque conditionibus restrictam tolerantiam.* Illam negamus, hanc concedimus. Conditiones autem istæ pertinent vel ad pietatem & religionem, vel ad justitiam & æqvitatem, vel denique ad Christianam prudentiam.

17. Religionis studium requirit, ne tolerentur Judæorum blasphemix & synagogæ; ne Judæum ad Christianorum castra transeuntem vi aut fraude detineant, aut ullo modo lædant; ne quenquam è Christianis ad suam superstitionem alliciant; ne cum Christianis conjugium ineant; ut cogantur adire Christianorum templa, in quibus sacras conciones audiant; ut libri, typis Hebræis impressi, illis eripiantur; ut sacras literas, in aliis lingvis editas, legant; ut mercaturam die dominico exercere prohibeantur.

B

18. Æqui-

18. Æquitas requirit, ut secundum jus Romanum in civitate Christianorum tranquillè vivant. Nam cum omnes in majoribus suis publicè dixerint, se non habere Regem, nisi Cæsarem, cumque privilegiis imperii frui cupiant; hinc jure coguntur, ut secundum leges Romanas vivant.

19. Cum primis perquam necessarium est, id præ reliquis seriò præcipere, ut ab immodicis usuris contra Christianos exercendi desistant. Frustrà provocant ad legem. Nam lex ista, quam ex *Deut. 23. v. 20.* citant, pertinet ad Cananæos, exitio devotos: id quod ex Rabinis nonnulli agnoscunt, qui per peregrinum *septem populos Palestine intelligi dicunt.* Nos quoque non sumus peregrini & advenæ Judæorum, sed ipsimet in terrâ nostrâ, velut exules, commorantur.

20. Tractentur quoque ut servi & exules. Fit hoc, si adiguntur ad opera servilia, nec ullum privilegium, aut prærogativa quædam, præ vilissimo Christiano iisdem conceditur. Nam cum propter crucifixum Christum ex patriâ divinitus sint expulsi, æquum est, ut à Christianis durius tractentur, onera illis imponantur, & loco mancipiorum habeantur. Quod si fecerint imperantes, fastus, huic populo innatus, mitigari, & ad peccatorum agnitionem perducì potest.

21. Ex hâc conditione sequitur, Judæos ad nullum publicum officium, cum aliquâ dignitate conjunctum, esse admittendos; possessiones prædiorum illis non esse permittendas; non licere iisdem habere mancipium Christianum. Sunt, qui docent, quòd in simili delicti genere gravius puniri debeat Judæus, quam Christianus, cum sit Christianorum mancipium. Imò constanter docent, quòd in causis debitorum & injuriarum nullus
Christia-

Christianus in gratiam Judæi creditoris & læsi sit nimis duriter tractandus.

22. Prudentia denique exigit, ut tanquam feralis se-
ctæ homines à Christianis externo quodam vestis signo
distingvantur. Veneti gestationem crocei pilei Judæis
injungunt. In nostrâ repub. flavum in pallio circel-
lum secum conferunt. Hujus loci est, prohibere, ne ci-
baria vendant. Fœtido enim halitû, quem ex quoti-
diano allii halitû contrahunt, cibum aut carnem conta-
minant. Huc pertinet habitatio. Habitent remoti à
Christianis, ne simplices nimis familiariter cum illis
conversentur.

23. Denique veri & proprii subditi sunt reipub. partes,
quæ summæ potestati, quoad omnia sua, obligantur, &
nonnullis vicissim ejusdem juribus & privilegiis fruun-
tur. Sermo nobis est de veris civibus, non honorariis;
quales Romæ fieri volebant Galli. *Fruerentur*, inquit
Romani, dicente Tacito II. Annalium, *sanè vocabulo ci-
vitatatis, insignia patrum, decora magistratum ne vulgarent.*
Eâdem conditione Corinthii offerunt Alexandro M. ci-
vitatem, Athenienses Demetrio & Pomponio Attico, Ar-
taxerxes Pelopidarum genti & Augustus Segesti Ger-
mano.

24. Verùm de civibus honorariis prædicatur nomen
æquivocè, cum præter nomen civitatis nihil iis commu-
nicetur: quo pacto & aliarum dignitatum attribui solent
tituli sine rebus. Sic Clodovæum, regem Francorum,
consulem & patritium creavit Anastasius Imperator &
Childebertum Justinianus. Basilius Imperator Ursum
Particiacum, ducem Venetorum, fecit Protospatharium,
ob classem, contra Saracenos præstitam, & Casimirus III.
Rudolphum, Legatum Pontificis, qui post 13. annorum
bellum,

bellum, pacem inter regem & Cruciferos fecerat, recepit
in numerum Consilarii Regii. Videantur *Sansovo lib. 1.*
de Rebusp. Volaterranus 4. Georg. & Cromerus lib. 26.

25. Cives autem, propriè dictos, hinc tantum propo-
nimus, non modò genera eorum, quæ ad Rempub. ad-
mitti debeant, consideraturi, sed & singulis suum præscri-
pturi ordinem. Et ut hinc initium faciamus, fuerunt,
qui primum senectuti in civitate concederent locum.
Sed senectus honorem quidem addit, si cætera sint paria.
Alioquin senex absolutè præferendus non est, nec rusti-
cus aut civis senex adolescenti studioso, Philosophiam
aut linguas in Academiis discenti, anteponendus. Hinc
Indi, ut *Strabo lib. 15.* habet, ætati nullam prærogativam
tribuerunt, nisi prudentiâ excelluerit. Iccircò digni-
tas civium aliundè deducendus erit: id quod faciemus, si
priùs eliminaverimus servos.

26. Servi, communi omnium populorum consen-
sù, pro nullis habentur. *Aristoteles III. Polit. c. 6.* ratio-
nem reddit; quia non possunt participes fieri vitæ beatæ,
aut vivere, ut volunt. Proximi ab his sunt liberti, vel
per vindictam, vel censu, vel testamento in libertatem
asserti. Nunc talia apud nos nullam civium differentiam
important, nisi vel Cmetones Polonorum, vel Colonos
Moschorum & Lituanorum, vel proprios homines
Westphaliæ, eorum loco & ordine habere placeat.

27. Reliqui omnes sunt ingenui, sed propter magnam
latitudinem aliter ab aliis divisi. Nos ut singula civium
genera distinctè pertranseamus, duo fora distingvemus,
Ecclesiasticorum & Secularium. Ecclesiasticis primum lo-
cum assignamus, non tantum quòd sint animarum pa-
rentes, sed quoque quòd Deorum vices in terrâ gerant.

28. *Aristoteles VII. Polit. c. 10.* à dignissimis in civi-
tate

tate sacra tractari voluit. Idem instituisse Romulum, testis est *Halicarnassensis lib. 2.* Numam apud Romanos curam hanc divisisse cum Pontifice Max. ita tamen, ut quædam sacra tantum à rege fieri potuerint, habet *Livius lib. 2.* Hinc Cæsar, Augustus, Vespasianus, Trajanus & alii simul Pontifices fuerunt & Reges. In Syriâ & Palæstinâ regem summi Pontificis nomen habuisse, ait *Dionysius lib. 37.* Apud Tyrios proximam à rege dignitatem fuisse Sacerdotium Herculis, apud *Justinum lib. 18.* legimus. In Tartaria hodie Seido, summo sacerdoti, obviam procedere reges inclinatos, *Sigismundus Baro in Tart.* tradit. Hinc rectè inferimus, quòd antiquâ consuetudine idem fuerit Rex & Pontifex.

29. Verùm Sacerdotes & cum primis Papa Romanus dignitate suâ abusus est, eamque in potestatem vertit. Tantum enim sibi sumit, ut jam Papa sit super omnes. Nec verbis tantum eam sibi potestatem tribuerunt Romani Pontifices, sed factis usurpârunt. *Augustinus Steuchus in libro de donatione Constantini* demonstrat ex Bibliothecæ Vatic. registis, quòd Papa imperium in omnia ferè Europæ regna sibi attribuerit.

30. Idem ex magnæ fidei Historicis probaturi sumus. Muschorum Ducem, si *Jovio* fides habenda est, titulo regio & licentiâ utendi cornuâ donare voluit. Opisso, Pontificis Romani legatus, Danieli, Haliciensium principi Russo, diadema concessit. Mondocus, Dux Litvaniæ, anno 1253. à Papâ impetravit diadema pro restitutis aliquot ditionibus Cruciferorum. Utrumque *Cromerus lib. 9.* recenset. Regnum Poloniæ à Lakoldo, duce Cracovicensium, tributarium esse factum Johanni Pontifici, scribit *Kranzius lib. 8. Vand. c. 2.* Annales Poloniæ testantur, quòd Boleslao regium nomen fuerit ademptum à

Gregorio VII. ob interfectum Stanislaum; & *Vincentius* narrat, quòd Uladislaus, quantumvis pius, illud à Papà vicissim exorare non potuerit.

31. Georgium, Bohemiæ regem, ob Hussiticam religionem, privasse Pontificem omni Ducali, Marchionali & Regio honore, ac præterea vetuisse subditos ipsi parere, *Bonfinius lib. 1. § 3.* meminit. Hungariæ regnum tributarium est factum D. Petro à rege Stephano, & Alexander V. Ladislaum in concilio Pisano regno privavit. Illud *Steuchus*, hoc *Platina* scriptum reliquit. Regnum Angliæ Johannes, Anglorum Rex, Innocentio III. feudatarium fecit, ne à Rege Francorum vinceretur. *Hæc Blondus lib. 6. dec. 2. § Virgil. lib. 15. hist. Anglicana.* Bonifacium interdixisse Edvardo, Angliæ regi, ne Scotos amplius vexaret, quòd id regnum in fidem & potestatem Ecclesiæ concessum esset, idem *Vergilius lib. 17.* refert. Regem Siciliæ Ecclesiæ subditum hominemque ligium & vasallum vocat *Clemen. in Clem. pastoral. de re judic.* Venetos declaravit Clemens V. pro servis, quod ipsius iussu non abstinerint à bello Ferrariensium. Consule *Platinam in Clem. V.*

32. Bonifacius IX. nihil intentatum reliquit, quòd & regem Galliarum sibi subjiceret. Nam Philippum, teste *Platinâ*, regno exiit, & universaliter statuit, quòd rex subsit Ecclesiæ. Quamquam Imperatores Germanorum violentiæ fortiter obsistebant, non obduruerunt tamen, quin tandem superstitioni cederent. Imò alterum orbem sibi quoque adjudicavit Papa. Nam Alexander VI. Americanas provincias inter Reges Portugaliæ & Hispaniæ, quasi Dominus earum, divisit, ut annotavit *Martyr. dec. 1. lib. 3. Vincentius de Valle viridi, Ordinis Dominicani Monachus, apud Benzoniem lib. 3. p. 280.* significat

cat Attabalibæ Regi, quòd Romanus Pontifex Cæsari terras antea incognitas & nunc primùm inventas dederit.

33. Eandem sententiam defendunt mordicùs Romanenses Scriptores. *August. de Anconâ in summâ de Ecclesiasticâ potestate q. 1. Papa habet omnem Regalem & Imperialem potestatem in toto mundo* 2. 46. *Papa Regibus, tanquam suis Vasallis, suæque potestati subjectis imperat, ut etiam possit eos instituere & destituere.* Franc. Bozius de temporali Eccles. Monarch. l. 1. c. 1. *Temporalis potestas omni ex parte spirituali potestati est subjecta.* Inde concludit, ut *beneficia Ecclesiastica, ita omnia regna esse Papa manualia.* Idem paullò post: *Beneficio Pontificis & Imperatorem & septem Electores esse constitutos.* Panormitanus Francisc. Aretinus & alii Canonistæ docent, quòd *Papa jus utriusque gladii à Christo acceperit, atque adeò ipsum quoque imperium ab Ecclesiâ dependere.* Restaurus Castaldus in tract. de Imperat. q. 36. disputat, quòd *Imperator teneatur Papa prestare juramentum fidelitatis & obedientiæ.*

34. *Bellarminus lib. 5. de Pontifice Romano c. 7. p. mibi 350.* nonnullas rationes profert ex rationis humanæ principiis, ut illam Romani Pontificis potestatem defendat, quas ordine examinabimus. Prima ratio est sequens: *Potestas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraqve pars est eiusdem Reipublicæ Christianæ. Ergò potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim superior potest imperare inferiori suo.*

35. *Bellarmini argumentum ita formari potest: Omnis superior imperare potest inferiori suo. Sed potestas spiritualis est superior civili potestati. Ergò potestas spiritualis imperare potest civili potestati. Resp. 1. majorem non esse universaliter veram. Nam superior potest imperare*

rare.

rare inferiori, non autem in omnibus, sed in iis tantum, quorum respectu est superior. Sic præceptor imperat discipulo in iis, quæ pertinent ad disciplinam, quam docet; non autem imperare poterit in ducendâ uxore, emendis agris, adeundâ hæreditate atque aliis rebus.

36. Resp. 2. minorem itidem non esse universaliter veram. Nam spiritualis potestas est superior civili potestate tantum in spiritualibus rebus: atque eadem subiecta est potestati civili in rebus mundanis iisque omnibus, quæ ad statum politicum pertinent: quod ipsum agnovit ipse *Driedo lib. 2. de libertate Ecclesiasticâ cap. 2.* & *Barclaius cap. 13. p. 106.*

37. Resp. 3. totum argumentum certo respectu concedi posse, nimirum potestatem spiritualem imperare civili potestati in rebus spiritualibus, adeoque civilem potestatem hæc ratione subijci spirituali potestati. Non autem inde sequitur, quod spiritualis potestas possit punire civilem civilibus pœnis: quod est istud unicum, de quo inter nos & Romanenses disceptatur. Sic pastor regit & informat principem, quatenus est princeps Christianus; non autem eidem præcipere, quid sit faciendum, aut regnum adimere potest, cum respectu harum rerum princeps non teneatur obedire suo pastori; qui, quatenus pastor est, docet quidem principem, sed ut civis est, eidem subiectus esse debet.

38. Imò si Bellarmini argumentum aliquid obtinere posset, tunc sequeretur, non tantum Romanum Pontificem, sed quemlibet pastorem esse superiorem magistratum, adeoque pastorem punire posse magistratum. Nam quivis minister habet spiritualem potestatem prædicandi verbum & usurpandi claves. Bellarminus autem hoc non intendit, sed hoc tantum, quomodo illa superio-

perioritas uni Papæ attribui tūm possit tūm debeat.

39. Ad illud, quando Bellarminus dicit, *potestates spirituales & civilem esse partes ejusdem reipublicæ Christianæ*, respondemus, quòd neque ad rem quicquam faciat, neque congruè dictum sit. Utrumque paucis ostendemus. *Ad rem non facit*; quia sive sint partes ejusdem reipublicæ, sive sint diversæ reipublicæ, nullo modo sequitur, civilem potestatem esse subjectam spirituali potestati. Nam ex diversitate partium non poterit colligi, utra imperet alteri, nec si una regit alteram in quibusdam, ergò regit statim in omnibus.

40. *Non congruè dictum est*; quippe non officium, quo hic vel iste fungitur, aut potestas, est reipublicæ pars, sed homo, huic vel isti muneri destinatus. Et si politia atque Ecclesia essent partes reipublicæ distinctæ; tunc neque Ecclesia esset de politiâ, neque reipublica politica esset de Ecclesiâ: quod absurdum est. Ideoque dicemus rectius, quòd unus idemque coetus vocetur Ecclesia, quatenus constat Christianis, & reipublica, quatenus ex imperantibus & subditis coalescit. In Papatu immutatum est; ibi enim tūm Laici tūm Clerici singularem constituunt rempublicam, cum Clerici alium agnoscant magistratum, aliumque Politici, seu Laici.

41. Bellarminus autem tribus rationibus probat, quòd *potestas politica non solum ut Christiana, sed etiam ut politica, sit subiecta Ecclesiastica, ut talis est. I. Demonstratur ex finibus utriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, ut patet, quia felicitas temporalis non est absolute ultimus finis, & ideo refertur ad felicitatem aeternam: constat autem ex lib. 1. Ethic. c. 1. ita subordinari facultates, ut subordinantur fines.*

42. Ex quibus verbis Bellarmini argumentum hunc

C

in

in modum formari potest: *Ut subordinantur fines, ita subordinantur facultates. Verum finis temporalis subordinatur spirituali. Ergo quoque facultas temporalis subordinatur spirituali.* Resp. 1. Aristotelis locum, ut mox audiemus, falso citari, 2. Totum argumentum concedi posse, scilicet potestatem politicam subordinari Ecclesiasticæ, cum hæc illa sit sublimior. Non autem inde manat, quod pastor possit privare magistratum vel regno, vel vita: quæ de re controvertitur.

43. Præterea hic loci sunt observanda, quæ sequuntur: 1. *Finem temporalem propriè non subordinari spirituali.* Nec enim temporalis felicitas dependet ab æternâ, nec semper tendit ad æternam: quod ipsum tamen fieri deberet, si temporalis felicitas æternæ subordinaretur. Finis Politicæ, quatenus talis est, complectitur civile bonum & vitam, quantum fieri potest, tranquillam: quæ tranquillitas est finis ultimus politicæ, quamvis non sit finis absolutè ultimus ipsius hominis. Nec quoque Politica ipsa aspirat ad æternam felicitatem, aut ad eandem, tanquam scopum, suos dirigit conatus; ut ex plurimis societatibus patet, apud quas civilis potestas, non sine laude floruit, quamvis exiguam, imò nullam planè æternæ felicitatis habuerit curam.

44. II. *Aliter subordinari potestatem potestati, atque aliter facultatem facultati, seu scientiam scientiæ.* Potestas subordinatur potestati, quando superior includit inferiorem. Hoc sensu potestas principis & potestas consulis sibi invicem subordinantur, cum illa hanc includat. Quo sanè pacto civilis potestas non subordinatur Ecclesiasticæ, cum hæc illam, tanquam inferiorem, non includat: neque Romanenses contrarium probare possunt. Facultas verò subordinatur facultati, seu scientiæ scientiæ, quando quædam scientia sua ab alterâ mutuò sumit prin-

principia, ita, ut, quæ sunt conclusiones in superiori scientiâ, sint principia, seu propositiones, in inferiori. Ergo à subordinatione finium ad subordinationem facultatum argumentari possumus, non autem ad subordinationem ipsarum potestatum. Unus quoque finis ad alium referri potest; non autem inde aliqua sequitur subjectio, aut potestatum propriè dicta subordinatio.

45. III. *Aliam esse subordinationem essentialem, aliam accidentalem.* Subordinatio essentialis est, quando aliquid sub aliquo continetur, aut alterum alteri subjectum est; accidentalis verò, quando alterum iuvat alterum, ut suo fine potiri citius possit. Civilis potestas subordinatur Ecclesiasticæ nõ essentialiter, ac si sub eâ contineretur, aut eidem subjecta esset; sed tantum accidentaliter, quatenus adjuvat potestatem Ecclesiasticam, ut hæc suum finem melius assequatur. Ita quoque Ecclesiastica adjuvat civilem potestatem, cum pietas non parum faciat ad temporalem finem, hoc est, ad concordiam civium & publicam tranquillitatem. Imperantes pastoribus & vicissim pastores imperantibus profunt. Sunt quidem ratione sui distincta, sed in actione conveniunt, mutuasque jungunt operas. Ex quo mutuo auxilio apparet, inter has duas potestates subordinationem propriè dictam dari non posse.

46. II. *Reges, ait Bellarminus & Pontifices, clerici & Laici, non faciunt duas respublicas, sed unam, id est, unam Ecclesiam.* Sumus enim omnes unum corpus, Rom. 12. & 1. Corinth. 12. at in omni corpore membra sunt connexa & dependentia, unum ab alio: non autem rectè asseritur, spiritualia pendere à temporalibus. Ergo temporalia à spiritualibus pendunt, illisque subjiciuntur.

47. Resp. nos concedere, quòd civilis potestas dependeat

deat à ministerio in spiritalibus, & vicissim spiritalis potestas à magistratû in temporalibus; sed negare, quòd magistratus dependeat ab Ecclesiasticis etiam in temporalibus, ita quidem, ut ab iisdem ademptione regni & vitæ multari possit. Hoc enim est tale, quòd falsissimè tum dicitur, tum ex illâ membrorum in Ecclesiâ connexionem probatur. Ut à corde dependent omnia membra respectû vitæ & motûs, non autem sensûs: & ut membra dependent à se invicem ratione diversarum functionum: ita quoque in sacro Ecclesiæ corpore idem fieri videmus.

48. III. *Si temporalis (verba Bellarmini) administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni. Ergò signum est, subjectam esse temporalem potestatem spiritali.*

49. Resp. certum esse, quòd Imperatoris Christiani sit mutare modum administrandi rempublicam, si impediatur spirituale bonum. Non autem inde sequitur, quòd imperantes in temporalibus sint subjecti Ecclesiasticis, ita ut regno spoliari possint. Hoc enim non est in ipsorum potestate, neque ipsis permissum aut injunctum, neque in primitivâ Ecclesiâ usitatum.

50. Porro etiam hoc ex rationis principiis argumentum deducit Bellarminus loco citato: *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Tales enim sunt omnes Respublice benè institutæ: Ergò debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi & disponendi de temporalibus rebus, quia alioquin possent mali principes impunè fovere hereticos, & evertere religionem. Igitur & hanc potestatem habet.*

51. Item: *Potest qualibet respublica, quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri reipublice non sibi subjectæ, & eam*

Et eam cogere, ad mutandam administrationem, imò etiam deponere eius principem & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius injuriis. Ergò multò magis poterit spiritualis Respublica imperare temporali Reipublica, sibi subjecta, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes, aliosqve instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

52. Resp. 1. Si ad perfectionem Ecclesiæ pertinet potestas abdicandi reges, tunc sequitur, quòd tùm Veteris Instrumenti Ecclesia, tùm primitiva Novi, fuerit imperfecta. Nam utriqve defuit talis potestas. Novi Instrumenti Ecclesia trecentis & amplius post Christi passionē annis, sub Ethnicis imperatoribus agens, hanc potestate caruit: quo tamen tempore infinitam hominum multitudinem Christo nomen dedisse, & multò, quàm unquam, severiorem in Ecclesiâ disciplinam viguisse, satis superq; notum est, adeò, ut nemo possit dicere, quòd Ecclesia tunc omnibus mediis necessariis ad finem suum acqvirendum instructa non fuerit.

53. Id qui audet, iniuriam facit Christo, cùm arbitretur, Ecclesiam, rebus necessariis destitutam, ab eo relictam atqve Apostolis traditam. Quidquid Ecclesiæ necessarium fuit, suum ut consequeretur finem, id omne à Christo abundè confertur Apostolis, quando *Luc. 21. v. 15.* dicit: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii.*

54. Imò qui talia negat, DEI providentiam, bonitatem ac potentiam negat. Nam si dixerimus, Christum non dedisse omnem potestatem, ad exeqvendum mandatum necessariam, tunc certè nulla alia causa, cur non dederit, excogitari potest, quàm quòd aut ignoraverit Christus, quid facto opus esset, aut quòd Apostolos decipere

cupere voluerit, tale iis imperando munus, quod eosdem propter impotentiam exequi non posse certò sciret.

55. Ex quibus manifestum est, quod temporale imperium & potestas removendi imperantes non sit necessaria Ecclesiae ad finem suum consequendum; quamvis hominibus videri aliquantò utile possit. Nam Deus elegit ea, quae stulta sunt mundo, ut confunderet sapientes; & infirma mundi elegit, ut confunderet fortia, bene sciens, Ecclesiam indigere armis tantum spiritualibus: quibus eam ab initio ita instruxit, ut quamcunque humanam potentiam superaret.

56. Resp. 2. Idem argumentum in Romanenses jure retorquendum esse. Nam dicere possumus, quod eorundem potestas sit imperfecta, cum desint vires disponendi de spiritualibus & coercendi improbam malorum doctorum libidinem. Constat enim, pacem & tranquillitatem in republica conservari non posse, si Doctoribus liceat impunè sceleratis esse & seditiosis: cujusmodi homines Romana Ecclesia habuit omni tempore, eosque quam plures. Ipse *Baronius* scribit ad annum 912, art. 8. *plurima moxtra sedem Romanum insedisse.*

57. Resp. 3. Si ad Ecclesiae perfectionem necessarium est, ut pastores possint regere regna & principes, dicendum necessariò erit, quod ad ejusdem perfectionem requiratur, ut iidem possint debellare penitus Diabolos & in infernum praecipitare. In his enim plus certè est necessitatis ad finem spiritualem perfectè consequendum, quam in regnis dandis & eripiendis.

58. Resp. 4. In quo Ecclesiae perfectio consistat, illud ex Christo discendum erit. Hic autem nullibi tradit, quod concesserit eidem potestatem abdicandi reges. Hinc colligimus, defectum istius potestatis nihil adimere Ecclesiae
sticæ

sticæ perfectioni. Satis is cavet Ecclesiæ, dum addidit Christum defensorem, S. S. ductorem & angelus custodes. Talem autem potestatem, quæ persecutores penitus tolli & hæretici extirpari possint, Ecclesiæ non dedit. Nam omnes, qui piè vivere volunt, persecutionem pati debent; & perpetuas in Ecclesiâ oportet esse hæreses.

59. Resp. 5. Quando respublica rempublicam afficit injuriâ, bellô, ut sacræ literæ clarè id docent, negotium componi potest. Indè autem non sequitur, ministros verbi idem posse contra imperantes, spiritualiter delinquentes. Nam alius corrigendi modus restat, qui consistit in correptionibus, excommunicatione atque aliis: quæ si nihil efficiant, peccatores Christo judici relinquendi sunt.

60. Resp. 6. Bellarminum sui ipsius non esse memorem. Suprà dicebat, *potestatem civilem & Ecclesiasticam non esse duas respublicas, sed duas unius reipublicæ partes*; hic autem duas illas potestates convertit in duas distinctas respublicas, quas ita separat, ut Reges & Laici constituent Politicam, Pontifex verò & Clerici spirituales: quæ fabulâ nihil absurdius dici poterit.

61. De reliquis argumentis, ex Sacro Codice desumptis, alibi agemus. Plura qui desiderat, ille legat *Defensorem pacis à Marsilio Patavino* editum anno 1324. pro defensione Ludovici Bavari Imperatoris contra Papam; *Petrum de Vineis*, Cancellarium Friderici II. Imperatoris, qui nonnullas hæc de re scripsit epistolas; *Autorem* oneris Ecclesiæ compilati anno 1519. & postea editum Landsh. anno 1529; *Carolus Molinæus* in oratione, Tubingæ habitâ, & in libro contra abusus curiæ Romanæ, recuso Bernæ anno 1605. *Gvilielmum Barclaium* in libro posthumo de potestate Papæ Mussi ponti edito anno 1609.; *Petrum Monilaum* in libro

bro de temporali Monarchiâ Pontificis Londini excuso anno 1614, *Sutlivium lib. 4. de Romano Pontifice*; & denique *Sibrandum Lubbertum* in disertatione de Papâ.

62. Hinc pergimus ad *Seculares*, quos distribuemus in *nobiles & ignobiles*, seu *plebeios*. In genere describunt nobilitatem, quod sit præ eminentia inter alias res sui generis habens facultatem aliquam in illas præsertim propinquas influendi. Nos autem hic agimus de verâ tantum præ eminentia.

63. Nobilitatem alii aliundè deducunt, prout alia in pretio habent. Vulgus, quod divitias colit, in iis nobilitatem colit. Sed, quia divitiæ cadunt etiam in personas turpes & infames, hinc illæ solæ nobilitare non possunt. Accedit, quod non pauci vix inter bona collocent opes, cum perindè sint, ut illius animus, qui eas possidet. Qui uti scit, ei bonæ, illi, qui non utitur rectè, malæ. Nihilominus quia omne bonum, bono additum, facit illud præstabilius, & ad perficiendum summum bonum aliquid afferre divitias docet *Aristoteles*, splendorem & decus nobilitati accedere propter divitias, confitendum erit.

64. Alia ergò capita, ex quibus nobilitas deduci debet, excutienda sunt, nimirum, *genus, virtus & scientia*. Duo nobilitatis fundamenta ponit *Plato*, aut virtutem parentum, aut virtutem propriam. De genere ait *Aristoteles 5. Polit. c. 13. & 4. Polit. c. 5.* Nobilitas est virtus generis, & *2. Rhet. c. 15. Nobilitas est quedam majorum claritas*. Utrius verò, an qui ex genere, an qui ex propriâ virtute nobilitatur, major sit dignitas, distinctè respondendum erit. Si nobilis genere à parentum virtute deficit, recentem virtutem meritò præferimus, eum & in se commendabilior sit, & plus profit reipublicæ. Non novitas exprobari debet. Nam si quis jure objicit mihi novitatem, idem faciat majoribus suis, quibus, uti mihi,

mihī, ex virtute nobilitas cepit. Si verò genere nobilis imi-
tetur virtutem parentum, dicimus, præferendum eum, qui
nobilitatem, ex genere deductam, novâ virtute adauget;
quia nova nobilitas novum gradum dignitatis adjicit.

65. Nobilis declaratur consensu ejus, cujus ea est po-
testas. Pertinet autem potestas conferendi nobilitatem
ad majestatem: quod adeò certum est, ut indignum quo-
que nobilitare possit, si ex certâ scientiâ, & non ex igno-
ratâ ejus conditione id facit. Quod si tamen id faciat ma-
jestas, & nobilitatem solo pretio vendat, ab eâ peccatur,
cùm virtus comparari pecuniâ non possit.

66. Quæ de virtute hætenus diximus, ea omnes fermè
de morali, cum primis fortitudine, interpretantur. Intel-
lectuales quòd spectat, principaliore non excludimus,
cùm scientia quoque nobilitet. Nam scientia pretio num-
mario æstimari non potest. Hinc jus Canonicum nobiles
& literatos pro iisdem accipit. Doctrina enim, ut *Cassio-
dorus lib. 9. epist. 7.* ait, facilè exornat generosum, quæ e-
tiam ex obscuro nobilem facit. Hinc *Spartianus in Julia*:
proavum Juliani magis nobilem fuisse scribit, quòd esset
Jctus: & *Ulpianus* appellantur nobilissimus. Quod autem
de Jctis profertur, in similibus qui in Academiis docent,
quoque habet locum. Omnes enim profitentur tales di-
sciplinas, quæ nobilitant.

67. Inter nobilitates primum locum damus Theolo-
gis ob rationes suprâ explicatas, secundum autem Jctis,
seu prudentibus. Prudentes enim sunt tales, in quibus
salus reipublicæ maximè consistit. Post Jctos colloca-
mus Medicos, quorum conditio justior est, quàm eorum,
qui Philosophiam docent, cùm illi salutis hominùm, hi
studiorum curam gerant. Sucedunt Philosophi, de qui-
bus *Plato s. 6. de repub.* scribit, tùm demum salvas fu-
turas

D

turas

ruras respub. si vel imperantes philosophentur, aut Philosophi imperent. Hæc de nobilitatorum ordine sententia est receptissima.

68. Nonnulli hunc nobilitatorum ordinem variant. Nam primum locum dant Ecclesiasticis, secundum nobilibus virtute & genere, tertium nobilibus virtute tantum, quales sunt Prudentes, Medici & Philosophi. Nobiles sanguine excludunt jure. Nam omnes ferme conveniunt, quod nobilitati detrahatur, nisi propagetur virtus. Nulla à Turcis censetur nobilitas, nisi quam ipsa facta pepererunt. Nam quæ non fecimus ipsi, ea vix nostra putare debemus. *Petrus Cbarmensis in Lixoperitâ Medicum Jurconsulto adæquat: & Bernbardus, Medicus Florentinus, Medicum Jcto anteponit in disputatione quâdam.*

69. Cum doctorum ordine coincidit militaris. Ut enim illo in pace, ita hoc opus est in bello. In Poloniâ milites primas habent, cum facta dictis præstent. Verum quia parvi sunt foris arma, nisi sit consilium domi, æqualis est utrorumque dignitas, nisi præsens necessitas unius conditionem efficiat nobiliorem. Tunc enim, secundum nonnullorum sententiam, is, quem præsentia magis exigit, præferendus erit.

70. Aliàs militia per se non nobilitat. Nam apud Romanos omnes cives cogebantur militare, nec tamen omnes fiebant nobiles. Præterea hoc argumento utuntur: *Infamia non compatitur dignitatem: Sed miles potest infamis esse;* quia damnatus publicis criminis fit infamis; non tamen desinit miles esse. Quæ ratio docet, non tantum militiam non nobilitare, sed ne dare quidem dignitatem. Quamvis autem simplex militia non pertineat ad gradus dignitatis, ea tamen, quæ cum præpositurâ est, ut sunt Capitanei Equestres, vel Pedites, dignitatem habet.

71. Ulti-

71. Ultimum subsellium occupant nobiles illi, quos delicatus tantum defunctorum parentum sanguis suaviter inescat; quibusque præter nomen nihil est adiuventi. Hanc nobilitatem deleri non posse putant, quod fundetur super virtute parentum, quorum filii sunt quasi partes. Nec facile præsumuntur liberi parentum virtutes relicturi, cum imposita sit nobili loco natis quasi necessitas, ne à majorum virtute degenerent. Sed cum multi degenerent, nullumque in his reperiatur fundamentum; iisdem nihil præter nomen attribuimus. Concedimus, propagari virtutem, sed non in staturis, verum si posterius imitentur virtutes parentum.

72. Evertitur nobilitas vitæ turpitudine, sordidarum rerum professione ac reliquæ ætatis infamiâ. Ut enim constituitur per virtutem: ita quoque, eadem exulante, nobilitas amittitur. Idcirco expirat per hiatus sordidi quæstus, turpi mercaturâ, tyrannide, poculis, commestrationibus, stupris, adulteriis, invidiâ & fraude. His obtenebrata nobilitas nec unius assis æstimari potest, cum vera virtus, in exilium pulsa, corruptissimorum vitiorum poenas luat.

73. Romæ quæstum omnem patribus indecorum esse visum, annotavit *Livius*. Hinc Polonorum nobiles, si mercaturam aliasque sordidas operas exercent, mox vilescunt. Apud Saxones cautum est, ne nobiles mercaturâ ad se raperent, ut suum civitatibus relinqueretur lucrum. Russorum nobiles adeo contemnunt mercaturam, ut mendicare malint, quàm eam exercere.

74. Sunt tamen, qui mercaturam nobilibus non denegant, si summa eam imperet necessitas: quâ ratione *M. Aemilius Scaurus*, paupertate pressus, carbonariam artem exercuit. Nam constat, quod hic non lucrum, sed honesta

vita sustentatio quaratur. Veneti, Genuenses aliæque ad mercaturam sitæ civitates non credunt, per negotiationes nobilitati detrahi.

75. Ad plebejos transimus, qui officia tractant magis sordida, ut sunt agricolæ, mercatores, opifices atque alii innumeri. Agricolæ præ reliquis omnibus amandi sunt. Nam alimentum, omnibus necessarium, suppeditant; honestissimus acqvirendi modus ex agris est; ex agricolis viri fortissimi & strenui gignuntur; hi sunt, qui mandatum divinum, *Gen. 3. v. 15. & 18.* extans, fideliter exequuntur. Non dicam, quòd agriculturæ studium sit omnium jucundissimum; cujus svavitare clarissimi viri capti & perpetuò rusticati sunt.

76. Non pauci demirantur indignam sanè rusticorum fortunam; quam durâ superiorum iniquitate subire coguntur. Nam frugibus exuuntur, pecuniâ magnis sudoribus partâ emunguntur, laboribus infinitis fermè conficiuntur, & nunquam nõ cruciantur. Rusticus ergò ita tractandus erit, ut sit reip. saluti, non damno. Viderint autè hi omnes, ne in tantâ rerum iniquitate in propria Reip. membra sæviant, & Spiritum Sanctum in sacris loquentem violent. Vide *Lutherum* in suis scriptis hâc de re gravissimè passim differentem. De reliquis, quæ restant, in sequentibus.

I. N. J.

Subditus Augusto quis sit? quid congerat illi?

HENSCHLIUS docto Preside multa movet.

Gratulor, & par est virtutem attollere censu:

Stat virtus, animo stant decora alta suo.

Ignavos supera titulis, sic deniq; magnus

Sive velis Doctor, sive Magister eris.

VOVET

*M. Jacobus Reichmannus Colleg. Phil. Adj.
Schol. Torg. voc. Rector.*

ad
a-
is
lii
it.
o-
ri
i-
n
s-
d
m
o-
i-
i-
e
.
.
e
.
.
.

05 A 2353


ULB Halle 3
003 784 24X


VD17

001







DISPUTATIO POLITICA
DE
lis, quæ summæ po-
testati subjiuntur;

Quam,
PRÆSIDE,
MICHAELE WENDELERO,
D. & P. P.
publicè proponit
MICHAEL HENTZSCELIUS, WITE-
bergâ Saxo,

In Auditorio minori, die 19. Julij, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO MDCLVI.